Stanislaus.

Podgorski Samuelis Joannis: Aquila in petram coelo sublimiorem ad evitandam seculi nequam pestem evolans.

AQUILA
In Petram Cælô sublimiorem, ad evitandam seculi nequam pestem
EVOLANS,
In Virtutibus, Sapientia, Meritis,
PERILLUSTRIS olim & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. PETRI STANISLAI ORŁOWSKI,
Utriusq; Juris Doctoris, Prothonotarii Apostolici, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis Canonici, Collegiatæ Tarnoviensis, Præpositi Infulati, & Officialis perpetui &c.
Viri, in utraq; Rep: immortalibus meritis, spectatissimi,
dum magnis Ejus Manibus,
Inferiæ laureatæ in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ Cracoviæ, ritu solenni,
ab Ordinibus Academicis persolverentur,
à Mnemosyne Iagelonica,
Operâ
M. SAMUELIS JOANNIS PODGORSKI,
Phil: Doct: Regii Professoris, Collegæ Majoris, Canonici ad S. ANNAM, Curati in Osiek, S. R. M. Secretarii.
ad imitanda tantæ integritatis exempla, dolenti pennâ,
OBSERVATA.
Annô, Aquilæ magnarum alarum, Draconem pestiferum suffocantis. 1709. die Aprilis. 7 XII 10

CRACOVIÆ TYPIS ACADEMICIS.

Videamus AQUILAM, nidum spei in arduis construentem, qui ait: nostra conversatio in cœlis est; & rursus; qui conresuscitavit, & consedere nos fecit in cœlestibus. In arduis habet nidum, quia profectò supernis figit consilium, non vult mentem ad imum deijcere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare.

S. Greg: 31. Moral: cap: 19.

Spera in Deo, & ipse te velut Aquila, in altissimo collocabit nido, ne possit venenatorum serpentum conatus pertingere. Sic enim de Aquila dicitur, quòd pullos suos, altissimo nido recondat, quò nullum venenatum irrepere possit.

S. Thom: Villanov: Conc: 2. in Dom: 1. Quadr.

Iustorum animæ Aquilis comparantur, quòd alta petant, humilia derelinquant.

S. Ambros: lib: 3. in Luc.

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. CASIMIRO à Łubna ŁUBIENSKI,

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Epiſcopo Chełmenſi, Sede vacante Epiſcopatûs Crac: & Ducatûs Severienſis Generali Adminiſtratori, Abbati Czervienſi, Teſtamenti, pientiſſimi Teſtatoris, faventiſſimo

PROTECTORI,

Mæcenati meo, omnibus gratitudinis titulîs, Colendiſſimo, Ampliſſimo.

AQuilam non ignoratâ viâ virtutum, & meritorum ad Petram Myſticam, Cælô ſublimiorem, ex peſtifera Sardinia deterioris ævi evolantem, Tibi Phænici Præſulum venerabun-

 dus

dus offero, Illustrissime, Excellentissime & Reverendissime Domine. Pertinebat & hoc magnum pietatis opus, ad sollicitudinem Tuam Pastoralem; ut animus ille, quem semper firmum, & immobilem, in veneratione & dilectione Tui, & conglutinatum, velut animam David Ionathæ, agnoveras; etiam post obitum, veriùs abitum suum, in sinu protectionis Tuæ quiesceret. Magnitudinem rerum, quam viduatâ tamdiu Sede Craciâ gessisti ô Præsul! hoc etiam celebrabit bonorum omnium elogium, quòd more majorum Tuorum, Primatiali celsitudine, & Plocensibus aliisq; tiaris, fulgentium, zelosissimus Iurium, & immunitatis Ecclesiasticæ Assertor, ultimarum voluntatum, & extremarum Tabularum unicus Patronus existas. Non indigemus, quâ olim Censor Divorum indigebat, ad cor humanum, fenestrâ; quia Phæbò meridianô clariùs perspeximus, propensissimum in Testatorem, Tuum paulò antè in Themidis solio Surrogatum, gessisse affectum; & hoc in primis votis fuisse cordi Tuo, boni publici amantissimo; ut Vir ille, Præsulum oculus, os & lingua, aureus Tripos utriusq; Iuris, Saturnium vixisset ævum:

vum:

vum; verùm quia ſeculi labem pertæſus, Divino nutu ad præmia, & coronam, quam ei reddet Iuſtus Iudex, emigravit; hoc ſaltem in ſuis optatis relinquere teſtatus eſt; ut Tu Præſulum Gemma, Summus in utraq; Diœceſi juſtitiæ apex, Canon & Regula, hoc agas, ac boni æquiq; conſulas; ut pientiſſima intentio, datô fidelibus præſtitibus, deſuper collatæ poteſtatis præſidiô, in omnibus & ſingulis coronetur. Ingens hoc, beneficentiæ, ac benevolentiæ, in defunctum dimidium animæ, documentum, inter alia innumera Pontificiæ adoreæ Tuæ, ac immortalium meritorum decora, connotabit, & faſtis perennibus cõſignabit æternitatis diphtera. Servata fides, & luculentiſſima charitas, quæ ſola major eſt omnibus virtutibus, ſola Cæleſtis Patriæ privilegiato incolatu inhabitatrix & heres, menſura gloriæ, in Beatiſſimis illis Geniis, Heredibus Dei, Coheredibus Chriſti, authẽticum perhibebit teſtimonium, Te illum Præſulem eſſe, qui antiquam Pontificum pietatem, & amorem in gregem, ac potiſſimum, quos Chariſmata Cæleſtia magìs ornârunt, ac entheus ſpiritus utiliores Eccleſiæ monſtravit, inſtauras. Qui it.quam Divi-

 no

no more, immortales eſſe etiam poſt mortem, ipſorum pia intenta protegendo; ſubſtantiamq;, quæ eſt alter ſangvis, in ſuffragia animarum, alimoniam pauperum, Eccleſiarum ſubſidium, ordinatam; ne Harpiis infeſti, Clero ſeculi in ſpolium cedat, defendendo; authoritate, ſcientiâ, dexteritate, & prudentiâ, cunctiſq; viribus anhelas. Numen Te Supremum ô Magne Præſul! inter depravatæ politiæ procellas, periclitantis, Eccleſiæ, & Patriæ Navarchum ſaxit, & conſervet; ut CASIMIRVS inter tot caſus miros fatalium temporum, ſis Columna Domûs Dei, & ſerus in Cælum rediens, videas Aquilam volantem per medium Olympi. Hoc precatur

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTISSIMÆ

&

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONI TUÆ,

Humillimus Servus & Cliens,

M. SAMUEL JOANNES
PODGORSKI.

AQUILA
in Petram Cælò ſublimiorem
EVOLANS.

INſtabilis rerum humanarum ſtabilitas,
Quid agis?
In quantis periculis ſecuram te arbitraris?
Naufragium eſt, ubi portum exiſtimas.
Dies nefaſtos candidô notas calculô.
Seculum, quo nullum deterius,
Saturnium te vivere cenſes.
O fucum! ô ceruſſam mendacem!
inter tot funera vivacitatem ſibi gratulari;
inter arma furentis Gradivi Ianum clauſum venerari.
Veneramur quidem Cluſium, & Patultium ſimul:
Hunc ad tumulos, illum ad oſtia ædium,
intimos penetrantem penetrales.
Age placita ô Geni!
Simula, diſſimula:
Triumphales tuas fige Columnas,
mox ædepol ſua mole ruituras.
Attendis? quid de hac Babylonica fabrica,
enuntiat Divinior Cynthius:
Omnia eſſe vana, & vanitate vaniora.
Hæccine tumultuantis genii felicitas?
Caſibus ſtare, ruinis firmari, mortibus vivere?
At (inquis?) orietur poſt hæc nubila Phæbus.
O votum Iovis calculô dignum!
Niſi obſtaret ſeculi malignitas.
Quippe in capulari Orbîs ſenio,
quam Sybillam inveneris?
quæ fauſtiora polliceatur?

O mature in adolescentia vates!
quam abominationem fatidico ore prædixeras,
jam rorido vultu incipimus spectare.
Sacra adyta, pulvinaria Divûm, Pergama,
tota Lechica Troja,
nil nisi fumus, & funus.
Commune in Patria exilium patimur,
extorres & exsortes.
Nisi; fortè & hoc inter solatia reputemus;
quòd una omnes maneat sors pereundi:
quia una lex ligat cunctos, vivere sine lege.
Oh singulare rationalis creaturæ donum Libertas!
in quo nunc Orbis Poloni angulo latitas?
Prostas ubiq;, & nullibi reperiris.
O Diva!
quantopere es dissoluta, & quantopere ligata!
O nos liberos Lacones!
licet tam grandi ære capita redimamus.
Mutuis armis & rapinis consumimur;
& tamen inter Assertores Camillos, censeri cupimus.
Atro sonipedi insidens falcata Libitina,
ubiq; funesta struit Capitolia;
nos Æliopæana intonamus.
Cicutam, & Sardonychen bibimus;
& quasi nectare poti, Democritos agimus.
O quàm læti, Parenti Patriæ, nobisq; parentamus!
Hæc equidem pestis seculi,
omni toxico nocentior,
sentientibus, & consentientibus nobis,
fortunam, honores, vitam aufert.
In hanc Sardiniam Andabatæ sponte ruimus:
quia virulentos angues discordiarum
in sinu fovemus.
O quàm de nobis verificatur sanctior Cyrrha!
Et infecta est terra in sanguinibus,
& contaminata est in operibus eorum. Psal. 105.
Felicior Aquilinus Genius,

Perillus

Perillustris olim & Reverendissimi Domini,

D. PETRI STANISLAI ORŁOWSKI,

Vtriusq; Iuris Doctoris, Prothonotarii Apostolici, Ecclesiarum, Cathedralis Crac: Canonici, Tarnoviensis Praepositi Insulati, &c.

Qui cum hoc virulento Dracone,
victricem luctam assiduò gessit.
A teneris virtutum amuleto armatus,
nullam seculi nequam pestem admisit.
Appage coronatum virus Mithridatem!
beatior vita ORŁOVII;
qui omne aconitum vitii abhorruit.
Porro ut securior à tumultu seculi degeret;
Divino nutu nidum struxit in Petra AQVILA haec.
Firmitudinem ejus inconcussam,
ab oraculo aeternae Sapientiae didicit;
nec portas inferi contra eam posse praevalere.
Jam ignosce Podlachia,
bonarum mentium Mater, & fortium nidus es:
non soli tamen tuo, natus est soli ORŁOVIVS.
Explorandus, Aquilae Polonae committitur.
Rupes Cracias pro aprico Theatro nactus,
nunquam à Phaebo pupillam deflexit.
Talpae sunt pleriq; ad publicam lucem.
Vix alii serpunt ad culmen virtutis;
ORŁOVIUS oculatior Argô,
ut voluit, volavit ad summa probitatis, & doctrinae.
Augure, & aruspice nemo indiguit,
Vocatine à Domino par Nobile Fratrum,
PETRUS & MATHAEUS ORŁOVII?
Prognostica enim & diagnostica signa,
erumpens è vultibus simmetria virtutum, prodebat.

In Palæstra benemerentium Arcades ambo,
pari passu ad coronas cucurrêre.
Lucernâ Cleanthis non indiguêre;
quibus AQVILA Gentilitia, pro capite auroram gessit.
Nulli etiam Herculeo parcentes labori,
nulli in arena Literaria herbam porrexêre.
Felices Animæ,
quibus innata indoles, non sævus Orbilius
calcar addidit ad omnem profectum.
Felicior Berecynthya Vniversitas Cracoviensis,
quæ tantis Præsulibus, Cathedris, & Diœcesibus,
lumina & columina ORŁOVIOS, educavit.
Quàm insignis, horum Divûm Virûm virtus!
quam Cœlites coronârunt.
Alterum enim ADALBERTVS nido Gneznensi,
alterum STANISLAVS rupi Vavellanæ coaptârant.
Docuit posthac tempus rerum magister,
quomodo hi gemini Tyndaridæ,
suis in Sphæris radiârint.
Ab Aquilis olim aves cum Laureis portari,
vel ipsas laureatas apparere,
festum faustumq; omen fuit.
ORŁOVII gemina lauru redimiti,
Lechicis Athenis victorias animorum præsagiebant.
In Illis paludata incessit Regina mentium suada;
per Illos in utrisq; exedris triumphabat.
Vtriusq; Sapientiæ facilè Coriphæi,
Philosophos & Theologos,
se, moribus, vitâ scientiâ, conscientiâ monstravêre.
Adjunxit suasitq; discendam sacram Legum peritiam,
Oraculum Themidis, U. J. Doctor & ocellus,
TRZEBICIANI OLORIS Auditor
ANDREAS GRABIANOVIVS.
Et certè cognato ORŁOVIO Sanguini,
non hanc duntaxat, sed pene animum insufflavit.
Mens Viri fuit major Ecclesiarum utilitas.
Divinos enim Platones,

etiam

etiam extra Athenas plures inveneris,
rarissimos Aristides.
Totus Orbis forum controversum, factus,
feliciùs regitur Canonibus;
quàm inextricabilibus formalitatibus.
Callere quid sit Materia prima?
in numerato habere entium locustas,
colloquia Angelorum rimari,
curiosum sanè, & bonum est;
solidiùs, meliùsq; non ignorare,
quomodo tribuendum sit unicuiq;, quod suum est?
Et hæc est æviterna adorea tua,
Sacra Legum Scientia;
quòd pacis publicæ sis auctrix, custos, & soror.
Iustitia enim & pax osculatæ sunt:
quòd Majestatum sis assistrix & assestrix,
recti regiminis doctrix & ductrix.
Æquè orbi malum est,
carere sole, ac justitiâ.
Vibrate jam aculeos Sacræ Themidos Antistites,
ô Mezentii!
Claudite justitiæ adyta, diruite areopagos.
Quid ergo erunt Regna, nisi publica latrocinia?
Triumphabit malevolorum audacia,
Trophæa eriget vesana licentia.
Imò venerabundi ad aram Divæ,
arrectis auribus, & anhelo corde,
discite justitiam moniti, & non temnere Divos.
Porro vel umbram PETRI spectate,
quàm illustris est?
congregatarum à GRABIANOVIO Virtutum, & Sapientiæ,
ex asse Heres,
Non Auditorem Legis, sed factorem se exhibuit.
Iustitiam uti commune bonum nemini denegavit.
Principia Iuris non theoricè tantùm,
sed etiam practicè docuit.
Publicè, & honestè vivens neminem læsit.

Novo mandato apprimè obtemperans,
etiam inimicis amicissimus fuit.
Virtutem etiam in hoste laudavit, præmiavit, coronavit.
Quodsi ulcisci placuerit,
summa Viro Nemesis, ignoscere.
Vultus ejus velut effigies pacis:
Molliti sermones ejus super oleum,
sed ipsi nunquam jacula.
Ira, furor brevis neutiquam cor Viri invasit.
Nemo illum vidit torvum, nisi contra vitia.
Livor, tabificum malis venenum,
etiam ab hac Aquila procul!
quæ, & de sui laboris præda,
minores aviculas aluit.
A Rege alitum,
Multis gratitudinis tesseram redditam, compertum est.
Germanus hic est ORŁOVIO genius.
Pro triente benefacti, vel obsequii
assem rependit.
Plures Aquilarum ope à fatis servatos
enuntiat Ælianus.
ORŁOVIVS, afflictis, in gravissimis casibus
commune asylum.
Alii, cum Cæsare illo, pollicitis ditissimi,
etiam sceptrum Iovis promittunt.
Ille nihil promisit, nisi affectum effectus sequeretur.
A plerisq; *probitas laudatur, & alget:*
imò odiosa ut infernus æmulatio,
dignam aureis candelabris lucernam,
sub medio premit.
Sunt plures ejusmodi soles,
qui soli apparere gestiunt,
minorum luminum splendorem extinguentes.
Vastæ charybdes omnia absorbent,
ut ne tabula quidem nudis Palinuris supersit.
Abhorruit tale cacoëthes ORŁOVIVS.
Omnis Ejus conatus,
ne erudita probitas egeret.

Virtuti

Virtuti nunquam deesse volens,
bonarum mentium acerrimus promotor extitit:
distributô, in promovendos ad Laureas,
GRABIANOVII peculiô,
etiam sua ope, opibusq; egenæ Palladi consuluit.
O quot amara fame cruciati!
Suxerunt mel de hac Petra, & oleum de saxo!
Et quia omnia ex Tripode dixit, & gessit;
ideo magnis nominibus planè inviscerari meruit.
LILIUM innocentiæ, & Sapientiæ,
NICOLAVS OBORSKI,
Laodicen: Præsul, Suffraganeus & Officialis Generalis Cracoviensis,
inæstimabiles Viri dotes miratus,
Eum in partem laborum cooptavit.
CANCELLARII, in Consistorio Munere functum,
tanquam alteram COLVMNAM nactus,
per multas aristas, Ejus prudentiæ incubuit.
Nempe bellè novit LILIATVS Antistes,
cum absoluta Scientia Canonum, Styli, & Processûs,
summam Viro inhæsisse integritatem.
Vtinam sartis tectisq; rebus nostris servâssent Te Superi,
IOANNES MAŁACHOWSKI,
Pientissime Præsul Cracoviensis, Dux Severiæ,
Universitatis Jagełonicæ Cãcellarie faventissime,
& Mecænas munificentissime, Senatorum Gemma.
Plus quàm tribus Gratiis effusum Nomen Tuum,
in Rempublicam, Diœcesim, Academiam,
ast & in ORŁOVIUM.
Plaudebant coronati Vavelli Penates,
novam Gemmam tribus Coronis suis inseri.
Sed maximè applaudebat Heroicis virtutibus
Achatis sui,
Vir primæ Authoritatis, Cor, & Anima Capituli,
GASPAR CIENSKI, Decanus Cracoviensis.
Triumphale *Caput Vri* exaltavit cornu in gloria,
gaudens coronari merita PETRI.

D Lapis

Lapis igitur hic Aquilinus,
Tuis ô Præſul manibus! tiarâ capiti Ejus impoſitâ,
factus eſt nedum Tarnovienſis, ſed & Cracovienſis Eccleſiæ
in caput anguli.
Mira ejus virtus in eos,
qui concipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem.
Iam in geniis Politicorum Machiavelli deliria,
prævalere cæperant Evangelicæ veritati:
jam preſſura Patrimonii Chriſti criſtas attollebat.
Hæc *fuere initia dolorum.*
Conſummata tandem iniquitas,
MagnôIOANNE Triũphali Monarcha,
ad Superos evocatô.
E cardinibus mota immunitas Eccleſiaſtica,
per fædiſſimum fædus militare.
Miſſa eſt poſthac ſub haſtam Hereditas Dei.
Non una myriade Cauſarum Generalis Auditor,
PETRUS, ut cautes Marpeſia ſtetit.
Ut antè, ita illa tempeſtate,
Prætoriam dignitatem ita geſſit;
ut coram illo, vel ipſe jura petiiſſet Cato.
Labantibns rebus, quid agendum erat?
Accingendus PETRUS ſtrictiùs
FASCIA PASTORALI.
Quid Petrus?
In tota Poloniæ Palæſtina,
pro Chriſto capiendo videns novum Gethſemanum,
& quot raptores bonorum Eccleſiæ, tot Iſcariotas,
gladium ſpiritualem evaginari conſuluit.
Indignos cenſuit veniâ & abſolutione,
qui Chriſto Patri, Eccleſiæ, Patriæq; Matri, non peperciſſent.
O IOANNES Gratioſiſſime!
ex ſemine gratiæ gloriam cape.
Acta res eſt.
Effugiſti ſeculi depravati peſtem.
Ingreſſurus domum æternitatis, quæſieras fortè?
SIMON

SIMON JOANNIS, PETRE amas me?
at ipse factô respondit: *Tu scis, quia amo te.*
Profectò & hic Petrus, amore Dei proximiq; Cephas,
Sacrificiorum & orationum clavibus cælum Tibi aperuit:
quod, ut perpetuò pateret;
Anniversarias inferias Kielciis fundavit.
Romana Legatio
quâ, Fecialis hic Tuus functus, Cyneam superaverat,
Tibi triumphum gratiarum,
apud Monarcham sacrorum conciliavit;
Sibi Lauream Themidis reportavit.
Firmiorem in via sanctitatis reditum ne ambigas.
Totus Petreus rediit, totus Paulinus.
Vas Electionis & Ipse,
portavit Nomen Domini coram gentibus.
Mira Methamorphosi
nunc Aquilam, nunc Columbam egit.
In foraminibus PETRÆ,
innocentiam mentis ubiq; circumvehens,
auctam signatamq; annulô PISCATORIS
in Patriam revexit:
Vicario Christi ALEXANDRO VIII.
Animorum Triumphatori,
mox INNNOCENTIO XII.
acceptissimus.
Cardinibus, Principibusq; Ecclesiæ,
quia Magni IOANNIS Nuntius, undiq; gratiosus,
nedum responsa, sed dona Sacratissima accepit.
O dona pretiosiora his, quæ Regina Austri
obtulit Salomoni!
Ossa Sanctorum sunt muri Regnorum,
Thesaurus gratiarum, asylum & munimen.
Vtrumq; adduxit PETRUS, & decus & præsidium.
Infelix Polonia,
non unius Nemesis turbidinibus agitatata,
D 2 medi-

mediante PETRO summam acquisierat felicitatem,
in Sancto Felicissimo Martyre.
Totus hic, & integer cum signaculo triumphi sui, authentico, in Poloniam transire voluit cum amplissimo comitatu Heroũ; ut præmeditatam à malevolis infelicitatem amovisset.
Sic PETRUS Crania, Brachia, Crura & alia insigniora quadraginta trium Martyrum Lipsana,
S. Felicissimo conjungi postulavit;
ut tantis culminibus subnixa Patria, firmior stetisset.
Stetisset sanè velut Tarpeia rupes,
Fortunæq; non veteris Romanæ, sed Polonæ ædes, ævum egisset;
si Fides Patria, & conscientia robur habuissent.
Verùm, quia inolevit novi Apollinis dogma;
Liberum esse, qui fuerit inobediens Deo, Regi, Legi:
Cælitibus mansit honor, & gloria,
terrigenis ingratis indeficiens ærumna,
Ilias malorum.
O lares! ô Penates! ô Tutelares! ô Numina Patriæ!
ubi nunc prostatis ô fausti Genii!
Quem vocet Divûm populus ruentis imperij rebus?
Omnes, & nullum:
cùm tot Davi nullos curent Divos.
Agnoscite callidiores vulpeculæ demolientes vineam Domini.
contemptô non semel datô Superis, Sacramentô,
omnem celsitudinem contemni, deprimi & conteri.
Deus est, Remunerator est, Iudex est.
Reges in ipsos imperium est Iovis.
Unicum timendum est;
ne nostram quoq; Hierosolymam deserant Sancti Tutelares,
& dicant: *Exeamus hinc, dissedamus hinc.*
O os de ossibus nostris, & caro de carne nostra!
Princeps Poloniarum Beatissima CUNEGUNDIS!
ædificetur costa tua à PETRO, allata in Heroidem;
Mater viventium sis Polonis,
qui duplici morte moriuntur.
Posside homines per Deum!
In salis abundantia, Poloniæ per Te illata,
sale caremus.
In-

Inter tot Consos, conventicula sua struentes,
Gens absq; consilio est, & sine prudentia,
cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.
Utinam saperent, & novissima considerarent!
Super hanc noxam seculi altùm ingemuerat,
Sũmus Cyllenius Majestatum, suadæ Civilis & Sacræ Triũphus,
GEORGIUS ALBRACHTUS DENHOFF,
S.R.I. Princeps, Crac: Antistes, Dux Severiæ,
Regni Poloniæ Cancellarius.
Nec aliter Pontificium pedum in Vavello figere voluit;
quàm ut PETRVS Auditor, potiùs Adjutor laboris esset.
Sic hæc Columba innocentiæ, PETRÆ,
& PETRA Columbæ peroportuna fuit.
O breves Deliciæ Diœcesis!
Flos decidue Ducalis Sanguinis,
Magne Præsul!
in osculo Dei obiisti, sicut Moyses:
PETRA Te consequente, votis, lachrymis,
& non unâ incruentâ Hecatombe.
Oculus ergo Regum & Legum custos,
adjungere omnia videnti Argo,
Qui totus Oculus est, Deo.
Septem etiam oculi super unum Lapidem,
id est Charismata SS. Pneumatis fiant in coronam PETRO.
Novum hoc Sidus Aquilæ,
luceat in Cælo in perpetuas æternitates.
Tu verò Inclyta Collegiata Tarnoviensis,
orationem funde sine intermissione pro PETRO.
Infula Tua hactenus inter parietes hæserat,
nunc ampliorem Phœbum visura;
Iubar honoris per totum Officialatum extendit,
PETRO pro hoc splendore Romæ agente.
Tanto honori eriget se in arcum triumphalem,
ILLVSTRISSIMA TARNOVIORVM LVNA,
testis in Lechico cœlo fidelis,
ecclypsin meritorum nunquam passa.
Tota Civitas attollet trophæa,
E ORLO-

ORŁOVIO sideri.
Splendor Ejus in apparatu decoris Dei,
ut lux erit indeficiens.
Coccum, purpuram, & byssum,
in Ephod tunicellarũ, in superhumeralia, opere polymito ornata,
aurum gemmasq; in tiaras, & Rationale congessit hic Aaron.
Augustum hoc liberalitatis decus,
fulcit & ornat, virga Pastoritia ponderosior,
Principibus metallis, arte, cum myrotheciis speciosa.
Quidquid Antistitem, & aram rite & apprime ornat,
auxit, tulit, & obtulit Numini ORŁOVIVS.
Hierotheca, maximum in parvo Sacrametaliter complexûra;
fulgore auri & argenti, opulenta nitebit.
Monstratorium novum, caris Cimeliis ornandum,
monstrabit in SS. Synaxin pietatem, in Sponsam amorem.
Non uno arrhabone subarrhata Sponsa hæc,
Solemnem liberalitatem ORŁOVII declarabit;
dum Sancta Sanctorum, ejus Sponsi Præpositi, ingredientur.
Sacra monilia, geminæ Crucis aureæ,
quot lapidibus pretiosis micant,
tot charitatis Ejus carbunculos, & adamantes designant.
Lipsanothecæ argenteæ,
pro servandis & exponendis reliquiis,
BB. JOANNIS CANTII & CUNEGUNDIS,
candorem lucis æternæ promittunt.
S. CAROLUS BOROMÆUS, sacelli Patron⁹.
SS. HOSPITIBUS ROMANIS, Poloniã sospitantib9,
affabrefactos loculos,
in obtentu Cælestis loci gratificatur.
Christus deniq; ipse,
in Icone sua eburnea immobiliter collocatus;
non in imagine, sed facie ad faciem,
se visendum PETRO monstrabit.
Monstrabit se & Phidiæ Seraphico, WĘGRZYNOVIO,
qui ANTONII Thaumaturgi Nomen, fortè & spititũ nactus,
planè miraculum artis in figura CRVCIFIXI exhibuit,
sicut in aliis manu factis, & oraculis scriptorum exhibet.
Nondum habes columnam terminalem calame,
In

in ORŁOVIANIS munificentiæ monumentis.
In candelabris argenteis,
lucebunt, ardebuntq; lucernæ charitatis.
Horologium directioni devotionis accommodum,
non horas, sed annos æternos,
unà cum musicali instrumento sonabit.
Reliqua hujus Ecclesiæ ornamenta,
in stolam gloriæ cedent æternam.
Illa si notari voluit?
fecit; ut succedanei, paria amulentur charismata.
Majora hîs in antecessum sub rosa reliquit ORŁOVIVS.
Ingens elogium ratus, solùm benefecisse:
Sed habent & rectefacta voces suas.
Sat vocalis Memnon pium exemplum:
nam non clamor, sed amor cantat in aure Dei.
Respondebit huic, Charitatis Vestræ echo,
Magni Infulatæ, Collegiatæq; Tarnov: Prælati & Canonici,
quando beneficii memores,
PETRI animæ annuatim parentabitis.
Immortalis Ille etiam in terris futurus;
dum in cordibus vestris natalis Ejus reflorescet.
Renovata jam hujus Aquilæ juventus,
sub patrocinio Augustissimæ MARIÆ DEIPARÆ,
Orbi in vitam natæ, cui se, suaq; dicârat.
Hausistis & vos de PETRA fontes,
quantum calamitoso tempore licuit,
Sacræ Communitates Mystarum, & Religiosorum Tarnov.
Nullum præteriit Ipsius liberalitas;
nullius etiam desit pro anima votum.
Optans, ut & umbra Ipsius, utilis esset omnibus,
in honorem Collegii Apostolici,
duodecem alumnos literis idoneos, eligi curavit.
Tales nempe, quibus indoles omnia spondet,
paupertas omnia negat.
Habes inter spinas publicæ egestatis Tarnovia,
quo vulnus lenias, quo animum soleris.
Sivè urbani fuerint, sive suburbani, filii tui,
non est curæ ORŁOVIO,

 si vir-

ſi virtutes fuerint pares, cultuſq; Minervæ.
Talibus honeſtam educationem, & culturam animi
provideri voluit eâ lege;
ut in Collegiata Tarnovien: ſacris aſſiſtentes,
ab adoleſcentia diſcant portare jugum Domini.
Colorem griſeum in amictu ordinavit,
ut parvi Samueles à teneris aſſueſcant,
evanidam mundi ceruſſam contemnere.
Vos Noſocomii languidi incolæ,
ſicut vivus ore & ære, ſolatus eſt PETRUS;
ita defunctus largiori eleëmoſyna cumulavit.
Fecit quod potuit, vos facite quod debetis.
Verùm quid mirum, hunc Nilum,
in propiores Eccleſias, & Xenodochia
pluſquam ſeptem oſtiîs defluxiſſe?
dum copioſior Ejus alveus, etiam diſtantia irrigârit.
Parochialis Eccleſia Siedlcenſis,
præter Hierothecam argenteam Euchariſticam,
gaudebit CANTIANA Particulâ,
quam Aquila hæc in Theca argentea,
alis beneficentiæ ſuæ deferri curavit.
Eidem Eccleſiæ, annexum Hoſpitale pauperum,
ſortitum eſt myſticum & Divinum in millibus numerum,
ut habeat paupertas, quo ſuum relevet languorem.
Viſitavit gratia B. JOANNIS CANTII,
& Eccleſiam in Oppido Mąkobody Diœc: Luceor:
PETRO illuc IOANNEM unà cum Calice introducente.
Eccleſiæ Paræcianæ, Koſocicen:, Czulicen: Moravicen:
Calicibus argenteîs deauratîs, donatæ.
Sic ORŁOVIUS in Eccleſiarum decora, effuſus,
ut ubi vel ad regenerationis gratiam evolaverat,
vel ubi Paſtor ſucceſſivè nidum fixerat,
teſſeram retributionis reliquerit.
Hæc beneficentiæ documenta,
vel ipſe liberalitatis apex Beatiſſimus MARTINUS Præſul,
pauperum & debilium Sacerdotum Cracoviæ Protector,
etiam exeunte ad Superos Petro poſteritati commendabit.
Sacræ Religioſorum Familiæ,
quarum

quarum nullam beneficiô suô vacuam esse voluit,
vel Spiritu S. de Saxia monente, saxum AQVILÆ attollent.
in quos, præter in commune erogavit eleëmosynas,
insigniq; subsidiô privatas personas cumulavit;
omnes desiderium PETRI jugiter exequentur.
Lilia convallium, sacri Parthenones,
apparebunt flores etiam in Terra vestra,
rigante vos beneficentia ORŁOVII.
Aliquot deni amici, & clientes,
solidiùs in archivo ORŁOVIANI pectoris,
quàm in tabulis, & codicillis aurô descripti,
in perenni memoria, & data & Datorem portabitis.
Atheniēsium de gratitudine legem, grata reassumet posteritas.
Inscribet fastis ORŁOVIVM non Timonem fuisse,
nec sibi nec aliis utilem;
sed medullitus contendisse, omnibus omnia fieri.
Fuerit hæc infelicitas aliorum,
qui rerum suarum incurii,
substantiam à se quæsitam vel opulentis cognatis relinquunt,
ut magis luxurient;
vel absq; ulla dispositione, vitâ functi,
rapinis, furtis, aut jurgiis ansam præbent.
Perspicacior AQVILÆ nostræ oculus:
uti in vivis ordinatissimè sese gesserat;
ita in exitu ad Patriam, æquè prudenter ac feliciter,
cuncta disposuit.
Discant mortales!
quibus majora talenta desuper conferuntur,
quodq; bonum debere esse sui diffusivum:
discant soles non sibi eos lucere, sed aliis,
& ecclypticam rectæ ordinationis semper tenere.
Alta mente reponant Pigmaliones,
æquè infaustum esse congregare iis, quos ignoraverint,
& prodigere collecta in ingratos, ac inutiles.
Tu verò penna evolans in Vavellum,
lustra pietatem ORŁOVII.
Irruerunt plusquam Tænaria mala in Poloniam:
sacra profanaq; undiq; permista.

Capitolium Sarmaticum à novis Senonibus captum,
Ioves ipsi sacratiores, Martis arbitrio subjecti,
grande lytrum litaverunt.
PETRVS tamen grandi Numismate,
quasi ex piscis præcordiis extracto,
pro Christo, iterum in membris suis mysticis captivo,
& pro se, opus hoc redemptionis juvit auxitq;.
Quantum verò consiliorum, laborum, fatigationum,
pro sartis tectisq; rebus totius Diœcesis impenderit?
æternitatis fasti enuntiabunt.
Anagogicos actus & lachrymas Ejus,
ad aras pro miserando populo effusas,
jam in obryzum & gemmas, cælum mutavit.
Vos benefico Cecrope destitutæ,
Craciæ & totius Lechiæ Athenæ,
nonne potiùs AQVILAM hanc, quàm veteres Noctuam,
pro Insigni portabitis?
Rapitur illa in extatasim,
stupens Palladium hoc meritis immortalibus vetustissimum,
à paucis coli, à multis destitui, à plurimis impeti.
Cotem virtuti eruditæ non addi,
imò Diviniores Platones urgente egestate,
in Cynicos abire.
Fuerat hæc olim, etiam furenti Gradivo humanitas;
ut cognato Numini Apollini,
mansuetioribusq; Camænis parceret.
Hodie novô furoris percitus æstrô,
quasi primam prædam, offamq;
Parnassum aggressus.
Quidquid in escam & minerval, destinatum est,
siccantibus jugi labore, ossa & sanguinem,
Musarum Cultoribus,
totum sub hastam misit & abliguriit.
Helicon ipse in Hæmum conversus,
sub ruinis vix semivivos præ inedia
Socrates ostentat.
Piissimæ illæ Magnorum Mecænatum mentes,
Athe-

Athenarum Fundatrices, auctrices, Protectrices.
suis intentis, defraudatæ,
indoluerant tot Marones plus quàm metricis pedibus arctari.
O si luctuosum quasi ex condicto
utriusq; Reipublicæ Statum,
redivivi triumphales spectaretis Monarchæ!
Magne CASIMIRE, VLADISLAE JAGELLO,
SIGISMUNDI, STEPHANI, VLADISLAI!
nec Poloniam in Polonia,
nec Academum Vestrum in Academo reperiretis.
Tu ipse Jupiter olim tonans in Oriente,
Magne JOANNES,
fulmina mitteres novos in Gigantes,
quibus nihil sanctum est, ne cælum quidem.
Reginarum & Heroidum Poloniæ Corona,
Augusta HEDVIGIS, Pallas nostra,
peculium Tuum Reginale, in Collegia, impensum,
Phago rerum, iniquum tempus consumpsit.
Stator Universitatis PETRE WYSZ,
Præsul Cracoviensis,
simulq; in Cathedra Academica Canonicæ veritatis oraculum.
Adhæreat lingua faucibus nostris,
si non meminerimus Tui.
Verùm fors Tuæ pietatis, curâ actum est.
ut revolutione prope quatuor seculorum,
PETRVS post PETRVM ex cinere Phænix Benefactorum
prodiret ORLOVIUS.
Hic primo Collegio Tuo Juridico,
quindena millia florenorum donavit;
ne jejunus mensæ textus,
glossemata Iurium acutiùs explicanda impediret.
Mox in Basilica S. ANNÆ Mettertiæ,
magnifico sumptu Sacellum erigi curavit;
ut & hæc Anna, liberalior Romanâ,
defectui nostro provideret.
Et quia malignitas temporum,

 nec

nec Cantiano peculio parcendum suaserat,
ne Ejus apotheosis exinde patiatur incommodum;
insigne in auro subsidium destinavit.
Collabens tandem Collegium Majus,
similiter aurea liberalitate fulciri voluit,
Columna universi nostri PETRVS.
Mettertiam Aviam Christi, ut orationibus, ita & donis suis
mysticè veneratus est.
Addidit Horologium argenteum instar sphæræ fabricatum,
post ferreum seculum;
auream vel saltem argenteam revolutionem,
Matri suæ peroptans.
Minutiora hæc omnia,
quæ & Minori Collegio destinavit;
nisi etiam & scriptam tesseram gratitudinis reliquisset,
Hic est ORLOVII, velut oloris cantus,
ultimis tabulis consignatus;
quem omnes grati legite, audite, imitemini:

Quoniam verò in primo respectu habendus est locus, gratificationis acceptorum beneficiorum (si quæ potest dari gratificatio) Altrici Matri meæ Almæ Universitati Cracoviensi, quæ ingenium meum bonis artibus, & honestissimis disciplinis expolivit, & successivè per gradus Academicos ad patentem portam, viâ virtutis & doctrinæ, usq; ad capessendum Canonicatum Cracovien: provexit, quò me Divina Providentia in hoc candelabro Principis Ecclesiæ, istius Diœcesis indignum locaverat; pro Canonizatione B. IOANNIS CANTII. &c.

Porro exinanita in pios usus substantiâ,
etiam corpus laboribus attritum,
hecticâ demum exinaniri, sine querela vel murmure passus est.
Hactenus nempe PETRVS *servabatur in carcere,*
cupiens dissolvi, & esse cum Christo.
Venit tandem septimus supra sexagesimum annus,
quo per *Angelum, liberatus est de corpore mortis hujus.*
Diminutus corpore, auctus spiritu;
ut per angustam portam citiùs transiret.

In

In PETRA nempe ſublimiori Cælô,
requies AQVILÆ noſtræ in æternum.
Solis juſtitiæ adæquatum, & principale Objectum,
Ejus obtutui repræſentari piè credideris;
ad quod viſendum, duabus charitatis alis volavit.
Tibi ergo inprimis vota deſuper filialia mittit,
Vicaria Dei in terris Poteſtas,
Pontifex Optime Maxime
CLEMENS XI.
ut inter tot fluctus tempeſtateſq; ſonoras,
feliciſſimè & diutiſſimè Navem Eccleſiæ gubernes.
Singulari Providentiæ, diſpoſitione,
Tibi Chriſtus clavum ſui Imperii commiſit;
ut vel ſolâ clementiâ victor,
ſuper aſpides & baſiliſcos ambules,
& conculces Leones & Dracones.
Vive æternùm PATER, cum Purpurato Senatu.
Tibi Ter Coronate Vavelle,
maneat corona ultima, Cælo.
Signum triumphale STANISLAI Præſulis Tui,
quod in Gentilitia teſſera geſtavit,
Conſtantiniam Tibi victoriam & gloriam adferat,
contra novos Maxentios.
CAPUT Tuum aurum optimum,
omnium æſtimatione, ſummis honoribus dignum,
Ordinaria poteſtate in capite libri ſcribatur.
Antiqua ſed non effæta virtutum & ſtudiorum Mater,
Iagellonica Vniverſitas,
aucta, doctiſſima Prole,
durando ſecula vincat,
Cineribuſq; PETRI Artemiſiam agat.
Sequeris pone Præſtitum, ultimarum Tabularum,
Sacer Quaternio,
Comitaris AQVILAM pernicibus votis,
uſq; ad *Civitatem in quadro poſitam.*
Primum Te in corde & Tabulis ſcripſit PETRVS,
G *Peril-*

Perillustris & Reverendissime Domine,

M. MARTINE WĘGRZYNOWICZ,
Sacræ Theologiæ & U. J. Doctor ac Professor,
Prothonotarie Apostolice, Ecclesiarum Cathedralis Cracov: Canonice, Collegiatarum, Kielcensis Custos, Pilecensis Archidiacone, & S. R. M. Secretarie.

Tu Columba innocentiæ,
assiduò in foraminibus hujus PETRÆ morabaris,
Tu omnes volatus AQVILÆ observabas;
ex quibus Tibi faustissimum omen,
& grande ac liberale Nomen succrevit.
Piladem & Orestem non jactet antiquitas,
nec Castorem & Pollucem:
arctiùs Te PETRO junxerat amor;
qui Te Romam usq; cum illo perduxit.
Minervam eruditi capitis Tui, ad Minervam Romanam,
publica disputatione Theologica probâsti;
ut Purpuratis Proceribus monstrares,
etiam in Polonia Ioves esse Pallade fætos.
Meruit illa publica crisis ingenii Tui,
ut Doctor Theologus in Patriam redires,
bonis avibus, quia AQVILIS comitatus.
Modo in distans immensum Empirei, idem amor Tuus evolet,
observetq; viam AQVILÆ in Cælo;
etiam post obitum operum Illius Coadjutor,
ac post seram fatorum seriem, in polo Corregnator.

Perillustris & Reverendissime Domine,

DOMINICE FRANCISCE LOCHMAN,
U. J. Doctor, Canonice Cathedralis,
& Archipresbyter Iufulate Cracoviensis.

Illud amicitiæ sanctum & venerabile Nomen,
quod non interrupto fœdere cum PETRO coluisti,
abitus Ejus loculenter probat.
Non totus moritur, qui in corde vivit amicorum.
Imò integer in pectore Tuo vivit PETRVS;
cujus facta executione, & imitatione,
apud Te sunt immortalia.

Supe-

Superi Dominicum gregi Dominico diutissimè servent.

Perillustris & Reverendissime Domine,

M. PETRE PRACZLEWIC,

S. Theologiæ Doctor & Professor, Collega Maior, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Canonice, Præposite SS Omnium Crac: Pilecensis Decane, Vniversitatis nostræ Procancellarie, Librorum per Diœcesim Crac: Censor.

quia Nomen Testatoris apprime gessisti;
etiam evolante ad Divos Ejus spiritu,
Salve, valeq; diu, è Cælo audis.
Te velut Tarpeium saxum in Rectoralibus Officiis,
nulla commovit procella.
nulla movebit & in amore PETRI.

Perillustris & Reverendissime Domine.

M. JOANNES STANISLAE JAROSZEWSKI,

Præposite Infulate, & Officialis perpetue Tarnovien:
Fortis claudis agmen Pientissimorum Præstitum,
quorum corda, AQVILÆ pupilla apprimè perspexit.
Vires Tuæ Ecclesiæ curis onustæ,
vel inde fortiores probantur;
quòd amore, more, ore, & re PETRAM portare sufficiant.
Scribe ergo hac in PETRA, æternam memoriam ORŁOVII;
ut cuncta Videntem videat in æternum.
Tu verò *Nobilium Turba Quiritium,*
certa ter geminis PETRVM tollere honoribus.
Quæ nimirum felicior Salomone,
viam volantis AQVILÆ ad Olympum non ignorâsti;
ut eâdem sine offendiculo curras, voleśq;,
ad solem Iustitiæ visendum,
Echo ad Petram, reflexa compellat:
Orbis amor, niveusq; pudor, mors, gloria, tempus
Præterit: ergo Deum quære, perrenne Bonum.

 D. O. M.

D. O. M.

Siste gradum Viator.

Lapis iste vocalis est.
Si curiosus es, multa disces;
Si pius, habes, quod imiteris.

PETRUS STANISLAUS ORŁOWSKI,

Juris Utriusq; Doctor, Prothonotarius Apostolicus, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis Canonicus, Collegiatæ Tarnoviensis
Præpositus & Officialis INFULATUS,
Hîc situs est, & non situs:
Quia illum totum, loculus iste capere nequivit.
Extra mundi Macedoniam,
quærere aliud Regnum jussus est.
Ad Sexagesimum Septimum ætatis suæ Annum,
telluris incola fuit, & non fuit;
quia conversatio Ejus erat in Cælis.
Virtutes Ejus ne quæsieris,
totus enim Virtutis Icon extitit.
In Academia Cracoviensi,
cùm alias scientias, tum leges & Canones,
ex asse didicit, & quasi non didicit;
quia nihil se arbitrabatur scire,
nisi JESUM CRUCIFIXUM.
In Generali Consistorio Cracoviensi,
per multas aristas, Cancellarius, Judex
surrogatus, Commissarius Apostolicus,
duorum MM. Præsulum Cracoviensium,
JOANNIS MALACHOWSKI,
GEORGIJ ALBRACHTI DENHOFF,
generalis Causarum Auditor,
planè Intelligentia videbatur;
nisi Eum summa erga omnes humanitas,
hominem fuisse indicasset.
Substantiam magnis laboribus quæsitam,
habuit & non habuit:
quia totam, in Ecclesias, pauperes, amicos, erogavit.
Has nempe habuit opes, quas distribuit.
Huic Collegiatæ prope triginta annis præfuit,
& summè profuit.
Nam primus honorem ejus, usu Pontificalium, splendore
supellectilis, copiosè auxit.
Tandem præmisso ad superos Fratre MATHÆO,
relictis plurimis virtutum exemplis,
& munificentiæ monumentis,
Mortalis esse desiit.

Annô Salutis 1708. Die 10. Januarii.
Tu Viator pijs Manibus bene precare.